toribus omnipotẽter cõcede: vt quod tua miſericordia cõfiſi agimus, per tuam gratiam efficacẽ cõſequamur effectũ: quatenus hos peſtiferos vermes vel mures, aues, vel locuſtas, aut alia animalia corroſiua per nos ſeruos tuos maledicendos maledicas, ſegregãdos ſegreges, exterminãdos extermines: vt per tuã clementiã ab hac peſte liberati, gratiarũ actiones maieſtati tuę liberè agamus. Per Chriſt. Poſtea dicatur ſequens Exorciſmus.

EXorcizo vos peſtiferos vermes, mures, aues, ſeu locuſtas, aut alia animalia corroſiua, per Deũ patrẽ omnipotentẽ, & Ieſum xp̃m filiũ eius, & ſpiritum ſanctũ ab vtroq; ꝓcedentẽ: vt confeſtim recedatis ab his campis, ſeu vineis, vel aquis, nec amplius in eis habitetis: ſed ad ea loca trãſeatis, in quibus nemini nocere poſſitis: pro parte oĩpotentis Dei, & totius curiæ cœleſtis, & ecclesiæ ſanctę Dei vos maledicens, vt, quocunq; ieritis, ſitis maledicti, deficientes de die in diẽ in vos ipſos, & decreſcẽtes: quaten' reliquię de vobis nullo in loco inueniantur, niſi neceſſariæ ad ſalutẽ & vſum humanũ. Quod pręſtare dignetur, qui vẽturus eſt iu. Orem'.

DEus, qui ad ſalutẽ humani generis maxima quæq; ſacramẽta in aquarum ſubſtantia cõdidiſti, adeſto propitius inuocationibus noſtris, & elemẽto huic multimodis purificatiõibus pręparato virtutẽ tuę bñdictionis infunde, vt creatura tua iſta myſterij tui, tibi ſeruiens ad abijciẽdos dęmones, morboſq; pellẽdos, diuinæ gratiæ ſumat effectũ: vt quicquid ĩ agris, vel vineis, vel hortis, vel ſegetibus fideliũ tuorũ hæc vnda reſperſerit, careat omni im mũditia, liberetur à noxijs animalib', nõ illic reſideat ſpiritus peſtilẽs. Amẽ. Non aura corrumpens. Amẽ.

Non brucus aut tinea demo-
liēs. Amē. Nō locuſta mordēs.
Amē. Nō vētus vrens. Amen.
Nō grādo cōterēs. Amē. Nō
tēpeſtas cōturbās. Amen. Nō
calor ſiccās. Amen. Nō ziza-
nia perturbās. Amē. Diſcedāt
ab eo oēs inſidiæ latentis ini-
mici, & ſi quid eſt quod inco-
lumitati eius inuideat aut qui-
eti, aſperſione huius aquæ ef-
fugiat atq; diſcedat: vt ſalubri
tas per inuocationē tui ſancti
nominis expetita, ab oībus ſit
impugnationibus defenſa. Per
Chriſt. Poſtea ſacerdos vadat
cū aqua bñdicta per totū aſper
gēdo & dicēdo ℟ Vidi aquā
egrediētem de tēplo à latere
dextro Alleluia: & oēs ad quos
ꝑuenit aqua iſta ſalui facti ſūt.
Alleľ. Alleľ. Alleľ. ℣. Cantate
dño canticū nouum: quia mi-
rabilia fecit. Gloria pri. Sicut
erat. Signum ſalutis pone dñe
in fructibus iſtis: & non per-
mittas introire angelum per-
cutiētē in eos, neq; animal ali-
quod infructuoſum. De cœlo
dñe pone ſignū tuū in eis. Et
protege eos, & non erit in eis
plaga nocēs. ℣ Oſtende nobis
dñe miſericordiā tuā. ℟ Et ſa-
lutare tuum da nobis. ℣ Do-
mine exaudi orationē meam.
℟ Et clamor meus ad te ve-
niat. ℣ Dñs vobiſcum. ℟. Et
cum ſpiritu tuo. Oremꝰ. Orō.

EXaudi nos dñe ſancte, pa
ter omnipotens, æterne
Deus: & mittere dignare ſan-
ctum angelū tuum de cœlis:
qui cuſtodiat, foueat, ꝓtegat,
viſitet, & defendat omnes fru
ctus in his agris vel vineis exi-
ſtētes. Per Chriſtū dñm nr̄m.
℟ Amen. Et benedictio Dei
omnipotentis pa ✠ tris, & fi-
✠ lij, & ſpiritus ✠ ſancti, de-
ſcendat & maneat ſuper hos
fructus: & angelus dñi bonus
cuſtodiat eos ſemper. Amen.

Finitur Manuale.

¶ Sanctæ Mariæ de niuibus. Officium.

PLacuit diuinæ prouidétiæ egregiá vrbem matris ſuæ habitaculo decorare: vt dum à populo veneratur frequenter in terris: opem ſuę interceſsionis de cœlis gaudeat adueniſſe. ℣. Cõtra naturam temporis aer nimia frigoris cõgelatione cõſtringitur: vt imber deſuper fuſo, niué pariter & algorem miniſtraret. ℟. Placuit diuinę. ℣. Gloria pr̃i. ℟. Placuit. Orõ.

DEus qui hodierna die ad declarandam genitricis tuæ gloriam in æſtiuis caloribus, niuis inuſitato deſcenſu locum quo ei templum ædificaretur dignatus es demonſtrare: tribue quæſumus, vt eius obſequijs inſiſtentes ab æſtu cõcupiſcẽtiæ refrigerati: candore innocentiæ ſuper niuem dealbemur. Qui viuis.

¶ Lectio libri ſapientiæ.

AB initio & ante ſecula creata ſum, & vſq; ad futurum ſeculum nõ deſinam: & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui: & in Hieruſalẽ poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius: & in plenitudine ſanctorum detentio mea. ℟. Requiſierunt locũ, mox verò papa Liberius foſſorium lętus accipiens ſicut nix deſignauerat proprijs manibus cœpit effodere. ℣. Immenſi igitur miraculi tam põtifex & curia quàm clerus & populus admiratione dixerunt, benedictus Deus. Allel. allel. ℣. Omnipotenti Deo imméſas gratias perſoluere nos oportet, quia cum ſimus omnium meritorum ſublimatione priuati, ad ſpiri-

tuale ſuæ genitricis obſequiū
nos dignatus eſt diputare.
Alleluia. ¶ Sequentia ſancti
euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore, Loquente
Ieſu ad turbas: extollens vo
cem quædā mulier de turba
dixit illi. Beatus venter qui te
portauit & vbera quæ ſuxiſti.
At ille dixit. Quinimò. Beati
qui audiunt verbum Dei: &
cuſtodiunt illud. Offert. Illu-
ſtris verò patricius propter ea,
quæ ſibi & vxori ſuæ fuerant
reuellata: omnia quæ habebāt
beatæ Mariæ cōferētes, ipſam
venerabilem baſilicam ſibi fe-
cerunt hæredem. Allel. Sec.

MVnera quæſumus dn̄e
apud clementiam tuam
filij tui genitricis cōmendet
oratio, pro qua idcirco tātum
miraculum operari dignatus
es: vt pro peccatis noſtris apud
te fiducialiter intercedat. Per
eundē do. Præf. beatæ Mariæ.
Æterne Deus & te in ve. Cō.

QVam perfectam baſili-
cam idem Liberius papa
in honore Dei & beatiſsimæ
eius genitricis cōſecrauit, allel.

SVmpta dn̄e ſacra- Poſt cō.
menta ob honorē glorio-
ſæ Mariæ ſemper virginis:
cuius candorem niuis mirabi-
liter hodierna die patenter po-
pulis demōſtrati: eiuſdem do-
minæ noſtræ precibus, nobis
quæſumus, perpetuam profi-
ciant ad ſalutem. Per.

¶ Aſſumptio beatæ Mariæ.
Officium.

GAudeamꝰ omnes
in domino diem
feſtum celebran-
tes: ſub honore Mariæ virgi-
nis: de cuius aſſumptione gau
dent angeli & collaudant filiū
Dei. ℣ Gaudent angeli & ex-
ultant archangeli: lætātur iu-
ſti, & congratulantur omnes
ſancti. ℟ Gaudeamus omnes.
℣ Gloria patri. ℟ Gaudeamus
omnes. Oratio.

Ve-

Venerāda nobis dn̄e huius diei feſtiuitas opem conferat ſalutarem: in qua ſancta Dei genitrix mortem ſubijt temporalem: nec tamē mortis nexib9 deprimi potuit: quę filiū tuum dn̄m noſtrum de ſe genuit incarnatum. Qui tecū vi. ¶ Lectio libri ſapiētię.

IN omnibus requiem quæſiui, & in hęreditate dn̄i morabor: tunc præcepit & dixit mihi creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo: & dixit mihi. In Iacob inhabita, & in Iſrael hęreditare: & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante ſecula creata ſum: & vſq; ad futurum ſeculum non deſinā: & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui: & in Hieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hęreditas illius: & in plenitudine ſanctorū detentio mea. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano & quaſi cypreſſus in monte Sion. Quaſi palma exaltata ſum in Cades: & quaſi plantatio roſæ in Hierico. Quaſi oliua ſpecioſa in cāpis: & quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquam. In plateis ſicut cinamomū & balſamum aromatizās odorē dedi. Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatē odoris. ℟. Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia & vide & inclina aurem tuam: quia concupiuit rex ſpeciē tuam. Allel. allel. ℣. Aſſumpta eſt Maria in cœlū, gaudēt angeli: & collaudantes benedicūt dn̄m. Allel.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tpe, Intrauit Ieſus in quoddā caſtellum, & mulier quædā Martha nomine excepit

pit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror nomine Maria. Quæ etiam ſedens ſecus pedes domini audiebat verbũ illius. Martha autẽ ſatagebat circa frequens miniſterium. Quæ ſtetit, & ait. Dñe nõ eſt tibi curæ: quod ſoror mea reliquit me ſolã miniſtrare? Dic ergo illi: vt me adiuuet. Et reſpondens dixit illi dominus. Martha Martha ſolicita es: & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Offertor.

Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum & in ſeculũ ſeculi. Secret.

Subueniat quæſumus dñe plebi tuæ Dei genitricis oratio, quam & ſi pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus: in cœleſti gloria apud te pro nobis orare ſentiamus. Per eundem dñm. Præf. Et te in aſſumptione. Io. 81. Cõm.

Dilexiſti iuſtitiã & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te deus deus tuꝰ. Poſt c.

Menſæ cœleſtis participes effecti imploramus clementiam tuam dñe Deus noſter: vt qui feſta Dei genitricis colimus: à cunctis malis imminẽtibus eius interceſſionibus liberemur. Per eũdem.

## ¶ Natiuitas beatæ Mariæ.

### Officium.

Gaudeamus ões in domino diem feſtum celebrantes, ſub honore Mariæ virginis: de cuius natiuitate gaudẽt angeli & collaudant filiũ dei. ℣. Magnus dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. ℟. Gaudeamus. ℣. Gloria. ℟ Gaudeamus.

### Oratio.

Supplicationem ſeruorum tuorum Deus miſerator exaudi: vt qui in natiuitate dei

ge-

genitricis & virginis Mariæ congregamur: eius interceſsionibus a te de inſtantibus periculis eruamur. Per eundem.

¶ Lectio libri ſapientiæ.

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum: antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſsi: & ego iam cóceptaerá. Necdum fontes aquarum erumperant, necdum montes graui mole conſtiterát. Ante colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ. Quandò præparabat cœlos aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyſſos. Quandò æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarũ. Quádò circundabat mari terminum ſuum: & legem ponebat aquis ne tranſirét fines ſuos. Quádò appendebat fundaméta terrę: cum eo eram cuncta cóponés. Et delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tépore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me. Beati qui cuſtodiunt vias meas. Audite diſciplinam & eſtote ſapientes: & nolite abijcere eam. Beatus homo qui audit me: & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitá, & hauriet ſalutem à dño. ℟. Benedicta & venerabilis es virgo Maria quę ſine tactu pudoris inuenta eſt mater ſaluatoris. ℣. Virgo Dei genitrix quem totus nó capit orbis in tua ſe clauſit viſcera factus homo. Allel. allel. ℣. Natiuitas tua Dei genitrix virgo gaudium attulit vniuerſo mũdo: quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ xp̄s Deus noſter. Allel.

¶ Initium ſancti euangelij ſecundum Matthæum.

Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid: filij Abraham. Abrahã genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudã & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron. Eſron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autẽ genuit Naaſon. Naaſon autẽ genuit Salmon. Salmon autẽ genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autẽ genuit Roboã. Roboam autẽ genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa. Aſa autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathã. Ioathã autem genuit Achaz. Achaz autẽ genuit Ezechiã. Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autẽ genuit Amon. Amon autem genuit Ioſian. Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres eius in tranſmigratiõe Babylonis. Et poſt tranſmigrationẽ Babylonis: Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autẽ genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Iacob. Iacob autẽ genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus: qui vocatur Chriſtus. Offert. Felix náque es ſacra virgo Maria & omni laude digniſsima: quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter.

Secret.

VNigeniti tui nobis dñe ſuccurrat humanitas: vt qui natus de virgine matris integritatem non minuit ſed ſacrauit, in natiuitatis eius ſolennijs, á noſtris nos piaculis exuens: oblationem noſtram ſibi faciat acceptá, Ieſus Chriſtus dominus noſter. Qui tecum viuit & reg. Præfatio. Et te in natiuitate. Cõmun.

BEata viſcera Mariæ virginis quę portauerunt ęterni patris filium. Poſt cõm.

SVmpſimus dñe celebritatis annuæ votiua ſacraméta præſta quæſumus, vt & téporalis nobis vitæ remedia præbeant & æternæ. Per.

¶ Sanctorum Fabiani & Sebaſtiani martyrum. Offiñ.

INtret in cõſpectu tuo domine gemitus compeditorũ redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum: vindica ſanguiné ſanctorum tuorum qui effuſus eſt. ℣. Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt téplum ſanctum tuum: poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. ℣. Gloria patri. P̃ Intret in conſpectu. Oratio.

INfirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis grauat: beatorum martyrum tuorum Fabiani & Sebaſtiani interceſsio glorioſa nos protegat. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. Qui tecum.

¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Hebræos.

FRatres, Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones. Obturauerunt ora leonum: extinxerunt impetum ignis. Effugauerunt aciem gladij, conualuerunt

de infirmitate: fortes facti ſunt in bello. Caſtra verterunt exterorum. Acceperunt mulieres de reſurrectiõe mortuos ſuos. Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipiẽtes redemptionẽ, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria & verbera experti: inſuper & vincula & carceres. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circũierunt in melotis, in pellibus caprinis, egẽtes, ãguſtiati, afflicti: quibus dignus nõ erat mũdus, in ſolitudinibus errãtes, in mõtibus, & in ſpelũcis, & in cauernis terræ. Et hi oẽs teſtimonio fidei probati inuẽti ſunt. In Chriſto Ieſu domino noſtro. ℟. Glorioſus Deus in ſanctis ſuis, mirabilis in maieſtate, faciens prodigia. ℣. Dextera tua domine glorificata eſt in virtute, dextera manus tuæ confregit inimicos. Alleluia, allel. ℣. Sancti tui domine benedicent te: gloriam regni tui dicent. Alleluia.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore, Deſcendẽs Ieſus de mõte ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius: & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa & Hieruſalem: & maritima & Tyri & Sidonis qui venerant vt audirent eum, & ſanarẽtur à langoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. Et ipſe eleuatis oculis in diſcipulos ſuos: dicebat. Beati pauperes: quia veſtrum eſt regnum Dei. Beati qui nũc eſuritis, quia ſaturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum,

tanquam

tanquam malum propter filiũ hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. Offe. Lætamini in domino, & exultate iuſti, & gloriamini õnes recti corde. Secret.

HOſtias tibi domine beatorum martyrum tuorũ Fabiani & Sebaſtiani dicatas, meritis benignus aſſume: & ad perpetuum nobis tribue prouenire ſubſidium. Per dominum noſtrum. Cõm.

MVltitudo languẽtium, & qui vexabantur à ſpiritibus immundis, veniebant ad eum, quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Poſt cõ.

REfecti participatione muneris ſacri quæſumus domine Deus noſter: vt quorũ exequimur cultum, ſentiamus effectum. Per.

¶ Vincentij martyris. Offm̃.

LÆtabitur. & cętera de communi vnius martyris. fo. 148. præter orationes quæ ſequuntur. Oratio.

ADeſto quæſumus domine ſupplicationibus noſtris, vt qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus: beati Vincentij martyris tui interceſsione liberemur. Per dominum. Secret.

MVneribus noſtris quæſumus domine precibusq; ſuſceptis: & cœleſtibus nos munda myſterijs, & clementer exaudi. Per dominum noſtrum. Poſt cõm.

QVæſumus omnipotens Deus, vt qui cœleſtia alimenta percepimus: intercedente beato Vincentio martyre tuo: per hæc cõtra omnia aduerſa muniamur. Per dñm noſtrum.

¶ In cõmuni vnius martyris. Officium.

LÆtabitur iuſtus in domino & ſperabit in eo & laudabũtur omnes recti corde. ℣. Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor, à timore inimici eripe animam meam. ℣. Gloria. ℗. Lætabitur. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui beati N martyris tui natalitia colimus: à cunctis malis imminentibus eius interceſsione liberemur. Per dominum.

¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Timotheum.

CHariſsime, Memor eſto dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundum euángelium meum, in quo laboro vſq; ad vincula, quaſi malè operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum: Ideo omnia ſuſtineo propter electos: vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria cœleſti. Tu autem aſſequutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, perſecutiones, paſsiões: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconij, Lyſtris, quales perſecutiones ſuſtinui: & ex omnibus me eripuit dominus. Et omnes qui volũt piè viuere In Chriſto Ieſu: perſecutionem patientur. ℟. Dñe præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronam de lapide prætioſo. ℣. Vitam petijt a te, & tribuiſti ei: longitudinem dierum in ſeculum ſeculi. Alleluia. allel. ℣. Gloria & honore coronaſti eum dñe: & cõſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Allel. A ſeptuageſima vſq; ad paſcha. Trac. Deſiderium animę eius tribuiſti ei: & voluntate labiorũ eius non fraudaſti eum. ℣. Quoniá præueniſti eũ, in benedictio-

nibus

nibus dulcedinis. ℣. Poſuiſti in
capite eius coronam de lapide
prætioſo. ¶ Sequentia ſancti
euãgelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore, Dixit Ieſus
diſcipulis ſuis. Amen, amen
dico vobis. Niſi granum fru-
menti cadens in terram, mor-
tuum fuerit: ipſum ſolum ma-
net. Si autẽ mortuum fuerit,
multũ fructũ affert Qui amat
animã ſuam perdet eã. Et qui
odit animam ſuam in hoc mũ
do: in vitam æternã cuſtodit
eam. Si quis mihi miniſtrat:
me ſequatur. Et vbi ſum ego:
illic & miniſter meus erit. Si
quis mihi miniſtrauerit, hono
rificabit eum pater meus qui
eſt in cœlis. Offert. Deſideriũ
animę eius tribuiſti ei domine
& voluntate labiorum eius nõ
fraudaſti eũ: poſuiſti in capite
eiꝰ coronã de lapide prętioſo.

OBlatis dñe quæ- Secret.
ſumus placare muneri-
bus, & intercedente beato N.
martyre tuo à cunctis nos de-
ſende periculis. Per. Com.

QVi mihi miniſtrat, me
ſequatur: & vbi ego ſum
illic & miniſter meus erit:

SIt nobis domine Poſt c.
reparatio mentis & corpo-
ris cœleſte myſterium: vt cu-
ius exequimur cultum, ſentia-
mus auxilium Per dominum.

¶ In communi plurimorum
martyrum. Officium.

SApientiam ſancto
rum narrent popu
li: & laudem eorũ
nuntiet eccleſia:
nomina autem eorum viuent
in ſeculum ſeculi. ℣. Exultate
iuſti in domino rectos decet
collaudatio. ℣. Gloria patri. p.
Sapientiã ſanctorum. Oratio.

DEus qui nos concedis ſan
ctorum martyrum tuo-
rum N. & N. natalitia colere:
da nobis in ęterna beatitudine
de eorũ ſocietate gaudere. p.
Epiſtola. Sancti per fidem. vt

ſupra

ſupra in miſſa ſanctorũ Fabiani et Sebaſtiani martyrum fo. 146. qua dicta dicat᷑ ſequẽs ℞. Glorioſus Deus in ſanctis ſuis: mirabilis in maieſtate faciens prodigia. ℣. Dextera domini glorificata eſt in virtute: dextera manus tua confregit inimicum. Alleluia. allel. ℣. Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Allel. A ſeptuageſima vſq; ad paſcha quia nõ dicitur Allel. loco eius & ℣. dicatur ſequens Tract. Qui ſeminant in lachrymis in gaudio metent. ℣. Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

¶ Sequentia ſancti euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Cùm audieritis prælia & ſeditiones: nolite terreri Oportet enim primũ hæc fieri: ſed nondum ſtatim finis. Tũc dicebat illis. Surget gens contra gentem, & regnũ aduerſus regnũ: & terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames: terroresq; de cœlo & ſigna magna erũt. Sed ante hæc omnia inijciét vobis manus ſuas, & perſequentur, tradẽtes in ſynagogas et cuſtodias, trahentes ad reges, et præſides propter nomen meum: Continget autem vobis in teſtimonium. Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari, quẽadmodũ reſpõdeatis. Ego enim dabo vobis os et ſapientiam: cui non poterunt reſiſtere et contradicere omnes aduerſarij veſtri. Trademini autem à parẽtibus et fratribus et cognatis et amicis: et morte afficiẽt ex vobis Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Et capillus de capite veſtro non peribit. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Offertorium.

Iuſtorum animæ in manu dei ſunt: & non tanget illos tormentũ malitię: viſi ſunt oculis inſipientium mori: illi autem ſunt in pace. Secret.

MVnera tibi dñe noſtræ deuotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata ſint honore iuſtorũ: & nobis ſalutaria te miſerante reddantur. Per. Cõmu.

MVltitudo languẽtium & qui vexabantur á ſpiritibus immundis veniebant ad eum, quia virtus de illo exibat & ſanabat omnes. Poſtcõ.

PRæſta nobis quæſumus dñe: intercedentibus ſanctis martyribus tuis N. & N. vt quod ore contigimus, pura mente capiamus. Per.

¶In cõi vnius cõf. põt. Offin.

STatuit ei dominus teſtamentum pacis & principem fecit eum: vt ſit illi ſacerdotij dignitas in ęternum. ℣. Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi eum. ℣. Gloria pr̃i. ℟ Statuit. Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus, vt beati N. confeſſoris tui atq; pontificis veneranda ſolennitas & deuotionẽ nobis augeat & ſalutẽ. Per. ¶Lectio libri ſapientiæ.

ECce ſacerdos magnus qui in dieb⁹ ſuis placuit Deo & inuentus eſt iuſtus: & in tẽpore iracundiæ factus eſt recõciliatio. Non eſt inuentus ſimilis illi qui conſeruaret legem excelſi. Ideo iureiurando fecit illum dñs creſcere in plebem ſuam. Benedictionem omniũ gentium dedit illi: & teſtamẽtum ſuum confirmauit ſuper caput eius. Cognouit eum in benedictionibus ſuis, & conſeruauit illi miſericordiam ſuá & inuenit gratiam coram oculis dñi. Magnificauit eum in conſpectu regum: & dedit illi coro[nam] gloriæ. Statuit ei te-

teſtamentum ſempiternum, & dedit illi ſacerdotiũ magnũ: & beatificauit illum in gloria. Fungi ſacerdotio: & habere laudẽ in nomine ipſius. Et offerre illi incenſum dignum in odorem ſuauitatis. ℟. Ecce ſacerdos magnus qui in diebus ſuis placuit Deo. ℣. Nõ eſt inuentus ſimilis illi qui conſeruaret legẽ excelſi. Allel. allel. ℣. Iurauit dñs & non pœnitebit eũ: tu es ſacerdos in ęternũ ſecundum ordinem Melchiſedec. Allel. A ſeptuageſima vſq; ad paſcha, quia nõ dicitur Allel. loco illius & ℣. dicatur Tract. Beatus vir qui timet dñm, in mandatis eius cupit nimis. ℣. Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorum bñdicetur. ℣. Gloria & diuitię in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Sequẽtia ſ. euãg. ſecũdũ Lu.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Sint lũbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus, veſtris: & vos ſimiles hominibus expectantibus dñm ſuum, quãdo reuertatur à nuptijs: vt cũ venerit & pulſauerit, confeſtim aperiãt ei. Beati ſerui illi, quos cum venerit dñs: inuenerit vigilãtes. Amẽ dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcũbere, & trãſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati ſũt ſerui illi. Hoc autem ſcitote, quoniã ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret: vigilaret vtiq;, & nõ ſineret perfodi domum ſuã. Et vos ſtote parati, quia qua hora nõ putatis filius hominis veniet. Offert. Inueni Dauid ſeruũ meum oleo ſancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei: & brachiũ meũ confortabit eũ. Sec.

SAncti tui dñe quæſumus nos vbiq; lætificent, vt dũ

eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus. Per. Cõm.

FIdelis ſeruus & prudens, quem cõſtituit dominus ſuper familiam ſuam: vt det illis in tempore tritici menſuram. Poſt cõmu.

PRæſta quæſumus oĩpotens Deus, vt de perceptis muneribus gratias exhibentes intercedente beato N. confeſſore tuo atq; põtifice, beneficia potiora ſumamus. Per dñm.

¶ Cõmune vnius virginis & martyris. Officium.

DIlexiſti iuſtitiã & odiſti iniquitatẽ: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ præ cõſortibus tuis. ℣. Eructauit cor meum verbũ bonum: dico ego opera mea regi. ℣ Gloria. P Dile. Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ N. virginis & martyris tuæ feſtiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per dominum.

¶ Lectio epiſtolæ beati Pauli apoſtoli ad Corinthios.

FRatres, Qui gloriatur, in dño glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus cõmẽdat. Vtinam ſuſtineretis modicũ quid inſipientię meę: ſed & ſupportate me. Æmulor enim vos Dei ęmulatione. Deſpondi enim vos vni viro virginẽ caſtam exhibere xp̄o. ℟. Propter veritatẽ & mãſuetudinem & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia & vide & inclina aurem tuam: quia concupiuit rex ſpeciem tuam. Allel allel. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende proſperè procede & regna. Allel. Tract. Qui ſeminant. vt ſupra in miſſa plurimorũ martyrũ. fo. 148.

Sequētia ſ. euāg. ſecūdū Mat.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc. Simile eſt regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Quinq; autem ex eis, erant fatuæ: & quinq; prudētes. Sed quinq; fatuæ: acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleū ſecū. Prudētes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo: dormitauerūt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt. Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudētes dicentes. Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis: ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dū autē irēt emere, venit ſpōſus & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias: & clauſa eſt ianua. Nouiſsimè verò veniūt & reliquæ virgines, dicentes. Dn̄e, dn̄e, aperi nobis. At ille reſpōdens, ait. Amen dico vobis, neſcio vos. Vigilate itaq;: quia neſcitis diē neq; horam. Offer.

Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, ꝓpterea benedixit te Deus in æternū, & in ſeculū ſcl'i. Secre.

ACcepta tibi ſit dn̄e ſacratę plebis oblatio pro tuorū honore ſanctorū, quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxiliū. ꝑ. Cō.

DIlexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tu'. Poſt c.

SAtiaſti domine familiam tuā muneribus ſacris: eius quæſumus interuentione nos refoue, cuius ſolennia celebramus. Per dn̄m.

Finis.

BIBLIOTECA ...

M.I.
214